



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 88. Importunæ utriusque Theologi Pontificii preces de corrigendo primo capite.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

„distributiones nullos alios perceperunt ^{Sæc. XVI.}
 „proventus, temporum autem iniqui- ^{A.C. 1562.}
 „tate factum est, ut hæc in præbendas
 „erigerentur: cum ergo Deus Episco-
 „pis pravas consuetudines abolendi,
 „ac meliores, priscosque usus restau-
 „randi auctoritatem concessit, haud æ-
 „quum videtur, quod Concilium Epi-
 „scopis vix tertiam hujus potestatis
 „partem tribuat, reliquam vero eis adi-
 „mat: proin sancendum est, quod Epi-
 „scopis plenum omnes præbendas in
 „distributiones convertendi, non au-
 „tem mere ad tertiam partem con-
 „stringendi jus competat., Hujus Præ-
 „fulis opinioni suffragabatur Braccaren-
 „sis Archiepiscopus, quinimo ceteri Præ-
 „fules Hispani pariter fratris sui senten-
 „tiæ favere videbantur: verum Mantua-
 „nus Cardinalis horum Præfulum pie-
 „tatem commendans affirmabat, quod
 hoc dubium in Synodo examinandum
 foret, quocirca consentientibus ejus
 Sociis pollicitus est, se de illo in Sessio-
 ne proxima mentionem facturum.

§. LXXXVIII.

*Importunæ utriusque Theologi Pon-
 tificii preces de corrigendo
 primo capite.*

Interea ambo Pontificis Theologi, qui *Pollav. c. 11.*
 doctrinam in decretis contentam im-
 num. 16.

M 2

pugna-

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

pugnabant, cum nondum responso eis dato contenti essent, rursus instabant, atque in hac congregatione cum tanto rationum pondere declamabant, ut eorum partibus Hosius Legatus, & Mardrutius Cardinalis accederent, qui ambo cum reliquis Legatis collocuti obtinuerunt, ut in primo Decreto ita verba mutarentur: *non tamen illa institutio, & traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem sumendam adstringantur, sed illi solum, quibus dictum est: hoc facite in meam commemorationem, hoc est illis, quibus potestatem dedit conficiendi, offerendique suum Corpus, & Sanguinem.* Ceterum Legati non opportunum censuere, eam mutationem solemniter Sessioni proponere, nisi admonitis prius Patribus, & sententiis eorum saltem seorsim rogatis: cum vero aliud tempus haud concederetur singulis, ideo adhuc ante Missæ Sacrificium mane eodem die, quo Sessio habebatur, eis totam rei feriem significari curabant.

Verum quamvis hanc decreti mutationem non pauci ratam haberent, non deerant tamen longe plures, qui eandem rejiciebant, quos inter alios Archiepiscopus Granatensis, & Mutinensis Episcopus præcipui erant, nam horum primus, utpote in S. Thomæ doctri-

doctrina plurimum expertus, illico tertiam Summæ partem præfati Sancti Doctoris ad se deferri iussit, ibique locum allegavit ex quæstione octogesima, articulo duodecimo, ubi S. Doctor illa Christi verba in ultima cœna etiam ad laicos extendit, dum per ea probat latant a Deo legem fuisse cunctis fidelibus Eucharistiæ fuscipiendæ; quamvis autem in eo loco Cajetanus conetur ostendere, quod propugnari adhuc possit, eam non Dei, sed folius Ecclesiæ legem esse, adeoque S. Thomæ rationes nonnisi tanquam probabiles admittat, earumque singulis reipsa responsum reddat, nihilominus mandatum illud a Christo pronuntiatum in Cœna, ab eo coarctatum non fuit ad solos Sacerdotes, quæ sententia, Cajetano favisset quamvis ipse alia defensione se tueri studeat.

Verum cum legati ex ea novitate majorem animorum contentionem, quam loci Sanctitatem deceret, exoriri cernerent, imposito silentio Patribus, ut ab acriori disputatione desisterent, injunxerunt, polliciti, quod si quid aliud gravius Patribus occurreret, commode de illo agi possit in articulis de *Missæ Sacrificio*.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.